



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Theologiae Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung der Schrifft im Prediger Salomo IV. 4.
12. Tractatus de Pane, Editio secunda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pane.
14. Georgii Rheti Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
(14. Protestatio defensa.
15. Oratio de Philosophico Studio cum Theologia conjungendo, praemisso Programmate.
16. Cursus Philosophicus.
17. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
18. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
19. Ex. de Astrologiae Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
20. Tr. de Modis praedicandi.
21. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
22. Rotgeri zum Bergen Res Sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
23. Godofr. Lameli Hymenaei Tumulus.
24.

2.b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.

D. O. M. A.

IRENICUM

defenſum & explicatum.

Hoc eſt,

Brevis & neceſſaria explicatio ac defenſio Irenici, adversùs ineptas qvorundam criminationes, & alienas ſervi cujusdam Chriſti, ut ſe vocat, cavillationes.

Qvæ Apologiæ vicem pro eo præſtare qveat.

AUTHORE

HENRICO NICOLAI,

Philoſophiæ apud Gedanenſes Profeſſore.

ELEUTHEROPOLI.

Anno à partu Virginis Matris.

LECTORI Chriſtiano ac benevolo S. Et pacem Chriſti.

QVot capita, tot ſententiæ, Chriſtiane ac benevole Lector; *Qvot homines, tot cenſuræ hodiè de ſcriptis aliorum. Ego ad pacem ac pacifica collimo: Ad bella alii provocant.* Irenicum, *qvod ex publicâ temporis occaſione Anno* 1645. *editum mihi, præter ſannas, calumnias, depravationes, & ſimilia, præmii nihil ab ingrato Orbe retulit. Facile fuit, univerſa contemnere, parumq; morari. Deſtinatum etiam, non moveri. Monitũ tamen à nonnullis, eſſe, qvæ noſtra interſit, non contemni, ſed defendi. Et facilis qvidem in arduo negotio lapſus eſſe ſolet. Sed* conatum tamen & juvandi voluntatem nemo bonus temerè reprehendit. *Ac juvandi potiùs, qvàm oppugnandi ſunt, qvi fundamenta ad benè ſapiendum collocare moliuntur. Verùm & calumniæ prolapſus ex facili eſt: Veritatis autem defenſio nec difficilis, nec inutilis.* Paratam hic eam *tàm univerſim adverſus varias criminationes, qvàm ſingillatim contra cujusdam cavillos, habes. Minæ de* pluribus *fuerunt, in Irenicũ incurſuris. Sed minæ hactenùs tantùm. Si fuerint, & ut illis ſuo tempore occurratur, ne qva benè dictis defenſio deſit, ſi vita ſuppeditet, procurabitur. Etiam* Cenſuram *aliqvam parum Cenſuræ habentem ſub cenſuram revocari æqvum fuerit, ubi viſum, commodumq;. Interea hæc accipe, L. B. ſolidè intellige, & Chriſtianè interpretare. Pauci fortaſsè hæc probabunt. Plures reprobabunt. Nempè* applauſus mundi in rebus ſpiritualibus ſuſpectus eſſe ſolet. DEus autem pacis & veritatis *oculos aperiat illi, qvi ſine præjudicio ſimplicem ejus veritatem amat, qværit, occupat: Utcunq; aliorum caligo inumbret. Tu mecum, Chriſt. Lector,* pacem deſidera, roga, qvære, promove. *Ita DEus pacis & veritatis tecum erit, Cui & Verbo gratiæ ejus in ſolidum te in turbulento ac calumnioſo hoc ſeculo commendo. B. V.*



PARS I.

Irenicum defensum contra vanas quasdam criminationes.

I.



X *Irenico* sperato factum est, ut video, *Polemicum* insperatum. Pacificando intentus dissidia commoveo. Vix tam benè aliquid dici posse video, quod non à Calumniatore pervertatur. Exemplum Prophetæ, Apostoli, & ipse DEI filius, in signum, cui contradicitur, positus *Luc*. 2. *v*. 34 *Hebr*. 12. *v*. 3. fuerunt, quantis perversionib. ab impio mundo impetiti fuerint. Quia tamen nec in causâ hæresios qvenquam patientem esse cupit *Hieronymus*; nec ad quasuis calumnias semper tacendum monet *Basilius*, succurrendum interdùm veritati est, ut, quæ propriâ soliditate satis defenditur, etiam apud homines defendi posse intelligatur. Idipsum *in causa Irenici* nobis præstari, Occasio insulsarum quarundam Calumniarum diversìm in illud jactarum, necessitatem imposuit.

2. Sunt, qui criminentur, novos ac latentes *Arianismos* in illo reduci, incrustari, occultari, viasq; illis complanari, & serpenti *Socinianismo* latam portam aperiri, qui istâ generalitate facile latere poterit. Verùm totum hoc præter inscitiam & calumniam nihil continet. Qui in mysterio Trinitatis multa ἄῤῥητα & incomprehensibilia superesse ait, pessimo jure ac calumniosè Arianismi incusatur. Nam & Scriptura id insinuat, *Prov*. 30. *v*. 4. *Sap* 9. *v*. 16. *Job*. 3. *v*. 14. Et *Patres ac Neoterici Theologi* passim id faciunt, ut in *Meth. de Trinitate* ostendam: *Et* mysterij natura id reqvirit, quod semper pluscontinet & abstrudit, quàm pandit: *Et* ex eo aliquid negari inferre, mera ruditas ac inscitia est. *Chemnitius*, *Mentzerus*, *Saxonici*, *aliiq;* in unione personali multa in cœlesté Academiam differenda dicunt, *ut Tra. de multipræs. t*. 91, 92. allegavi. Quis inde eos ea negare inferet? An differre & negare eadem in *Lexico* sunt? *Quod differtur, non aufertur*, vulgò dicitur. Sic hic, qui ineffabile aliquid ait, & *inter Cœli arcana reponit*, non negat, sed occultum, & imperscrutabile esse insinuat. Si dicam, quæ de perichoresi & circumin

cumincessione, communione naturarum in Christo, & idiomatum communicatione in Scholis disceptantur, longe specialiores determinationes sunt, qvas simplex Christianus sæpè nec sciat, nec capiat, & sine qvibus etiam salvari queat, an ea negari statim inferes? *An Christus* mediator & redemptor secundùm unam, an utramq; naturam sit, valdè specialis determinatio est, ad quam sufficienter percipiendam multa requiruntur, & de qvâ à simplici Christiano multa ignorari queāt. Quis inde eorum aliquid negari inferet? Nec Logica talem consequentiam admittit, nec Grammatica vocum significationem, & ruditatem ac animi impotentiam tantum arguit: nec quisquam antiquorum Patrum tale quid *Ario* assignat, quòd inter arcana Cœli multa horum retulerit. *Arius* negavit filium Dei æternum, & fuisse tempus, qvando non fuerit, dixit. Ego nihil horum dico, sed *Scripturæ verbis & phrasibus, ac antiquissimis Patribus insisto*, ante secula, montes, & terram sapientiam Patris possessam, *Prov.* 8. Non ex nihilo Creatam, ut *Idem* voluit, velut *Hilarius* co. *Auxentium* tradit. Egressus ejus ab initio & diebus seculi, *Mich.* 5. Et primogenitum omnis creaturæ *Col.* 1. non primò creatum esse dico, genitum, non factum filium cum *Nicænis* aio, & hic sistendum duco. An absoluta æternitas inde sequatur, non determino, cum vocem ambiguam esse videam; & multa ad hoc cognoscendum reqviri dico. *Antiqui Patres* initium Sophiæ dare non dubitârunt, & ex Patre; *quando ipse voluit*, filium natum dixerunt, ut *Tertullianus*. *Alii* nefas sibi dicunt, dicere, quando natus sit filius, ut *Hilarius*. *Alii* ante cœtera creata productum insinuant, Vt *Clemens*, *Lactantius*, *Justinus*. *Alii* curiosos nos esse debere negant, quomodo natus sit filius, Vt *Cyrillus*. *Alii* aliter; ut *Auctar. Natalitiorum dixi, & in Meth. de Trinitate plurib.* dicam: *Et hæc partim* ante *Arium* scripta, cum de eo nec auditum, nec cognitum fuit, *partim* ab illis, qui ex professo *Arium* & socios refutârunt. Ego si simile quid dicam; quo furore Arianismo patrocinari proclamor? Ex istis *Patribus* hauserim ea, non *Ario*, cum quo nihil unqvam commercii intercessit. Quanquam nihil adhuc determinavi, sed multa incognita intercurrere dixi, Quod longè diversum est. *Lucerna pedibus meis verbum Dei, extra qvod non facile de mysteriis quidqvam eloquar.* Cœtera tutiùs silendo venerari,

qumà

quàm nimium rimari censeo. Ipsa æternitas absorbet intellectum humanum, ut verè *Drexelius in Consid. d. ætern.* Nec facilè in absolutam æternitatem se immergere erit. Et *ubi de re obscurissimâ quæritur, non adjuvantibus perspicuis verbi oraculis, cohibere se debet humana præsumptio* temerè in alterutram partem aliquid definiendo. Bené *Gerhardus T. 5. L. C. d. Cœna, t.* 230. Qui quiescere in mysticis nesciat, in infinitum se præcipitet, & videat, an infernum curiositati paratum adire queat?

3. *Absolutè æternum* ambiguè dicitur. Si rigidè sumatur, illud est, quod simpliciter principium non admittit, nec inchoationis aut durationis, nec originationis aut derivationis, sed absolutè à se & ex seipso esse debet. Quomodo nec Dei filius, ut qvi principium Patrem agnoscit, etiam ex omnium *Lutheranorum* sensu, nec Sp. S. nec quidquam præter inoriginatum illud ens, quod solus Pater in divinis est, æternum esse potest. Sic si Deus mundum ab æterno condidisset, quod & ex *Lutheranis* multi eum potuisse censent, ut *Keslerus, Jac. Martini, & Scheiblerus,* ut *Tr. d. Multipræs. t.* 79. allegavi, non tamen *absolutè æternus* ille sit, nam *Principium*, à quo productus, habuerit. In vitâ æternâ à parte post æterni erimus, Angeli & animæ humanæ in æternum perdurant. Nemo tamen absolutè eos æternos vocare ausus est, Cum initium essendi habeant. *Si latiùs*, id dicetur, quod nec initium nec finem durandi habet, & si ab alio originem ducat. Sic etiam Dei filium æternum esse non præcisè negavi, sed intra Scripturæ verba se tenere, & contra Photinianos ante mundum & Creaturas jam extitisse asserere, satis censui. *V. t.* 2. Et quid hic calumnia reperit, quod *Arianismum* sapiat? *Arius & Ariani* Dei filium præstantiorem reliquis Creaturam per voluntatem Dei ex nihilo substitisse, & ante omnia quidem secula natum ex DEO Deum esse, sed non ex substantiâ DEi esse, nec divinæ in eo nativitatis majestatisq; ejus, quæ Dei est, intelligendam veritatem dixerunt, ne, qvàm verus sit Deus, qui Pater est, tàm verus sit DEus, qui filius est, ut *Hilarius c. Auxentium* tradit. Ego nihil istorum dico, multa erronea censeo. *Arius* filium DEI essentiam ex DEo ullo modo habere negavit, sive specie, sive numero, & Creaturam eum fecit primam omnium, quas DEus creârit. Ego genituram, non creaturam, confiteor,

t. 2. *Ariani* filium eodem cultu cum Patre prosequendum negarunt. Ego ex *Joh.* 5. affirmo, & negare blasphemum dico. *Arius* longè alia portenta adhuc somniavit, ut *Meth. d. Trin. t.* 33. adductum. Vtinam ille quædam de filio DEI inter arcana cœli retulisset, ut ego facio, non negasset? Melius ille sensisset, & erroris immunis egisset. Qui inter occultata aliquid numerat, non liquere dicit, non a. negat. *V. t.* 2. Sic qui ἐπέχειν in materiis arripiunt, ut de origine animæ ac aliis multi, ut *dec. 2. mis. d. 3. Et de Contradict. S. 1. t. 53.* ostendi, nec affirmant, nec negant, sed ampliant. Sic generatio & processio in divinis quomodo specialiter se habeant, nequidquam hic determinandum est. Quis ea negari inde inferet, Cum maximè agnoscantur, sed imperscrutabilia esse asserantur? Substantiales rerum formas nullus hominum plenè novit, sed ignorantiam fateri omnes coguntur, ut *Dec. 2. d. 2.* docui. Quis inde negari eas inficetâ deductione concludet? *Socinismo* hic autem latam portam aperiri, similiter calumniosum est. Ille enim negat & impugnat; & per seculū fere impugnavit. Hic autem quædam inter arcana Cœli referuntur & relinquuntur, aut inter non explicanda numerantur, non negantur aut impugnantur. Vtinam *Socinismus* DEi filium ante secula poneret, & naturam ex DEo assignaret, (De quo spes mihi *à Photiniano aliquo* facta, utinam, Jehovâ prosperante, successura?) quod ego facio, non meram Naturâ sui creaturam faceret, nec reliquorum aliquid negaret, quiesci in necessariis, & aliquid caligini humanæ indulgeri quiret! De quo *alibi* pluribus.

4. *Ab aliis arguor*, extra metas vocationis me procurrere, rebus non commissis me ingerere, aliena tractare, scandala præbere, litium materias comportare, & accendere. Hæc uno verbo refelli queant, meras falsitates & futilitates esse. Qui ab annis 30. ferè *Theologica* occupavit, ille non extra metas suas procurrit, sed in illis, in quib. ex professo laboravit, se continet. Ad scribendum autem nullâ peculiari vocatione opus, sed si quis idoneus sit, ac legitimo impulsu ad id ferri sentiat, agat. Quid in *Theologicis* possim, *Miscellanea, Tractatus de Pane, Esse Alicubi, Multipræsentiâ, Contradictione, Oppositione, Natalitia, Michaelia, Passionalia, Paschalia, Pente-*

costalia

costalia, aliaq́ parata adhuc, nondùm edita, testimonium ferant Nodos solvi, qui non fortassè ab omni Tenediâ securi id exspectassent. Fortean exotico dolet, qvòd & indigena digitum ostentare audeat? A Curiosis autem quibusdam super hoc judicari, vanum & inutile fuerit. Justè etiam ad Ecclesiasticam functionem Anno, 32. vocatus sum, longeq́; justius, ac multi eorum, qui mea calumniantur. Sed per illas ipsas eorum calumnias, quib. in scripta mea involârunt, stetit, quò minùs DEI vocatio obtineret; Cujus loco mendicatas vocationes præcolunt. Ipsis autem, ut Polypragmonibus, actorum meorum rationes nec dare teneor, nec dabo. *Integrum Theologiæ Systema* concinnem, quod dudùm destinatum, aut integris voluminib. Theologica diducam, ipsos super eo nec rogem, nec curem. Sua agant, quæ ipsis commissa. Judicium de meis scriptis nec cedetur ipsis, nec curabitur. Multi professione *Philosophi* in *Theologicis* publicè scripserunt. Vt *Fort. Crellius, Jac. Martini, Scheiblerus, Alstedius, Combacchius, Goclenius, Meisnerus* adhuc studiosus, & post Ethices Prof. *Scheikius, Keckermannus. Reunecherus, aliiq́.* Ne mihi tot annis professione occupato in sequius id imputetur. *In communi* periculo nulli civium sinistrè imputatur, qvòd suum judicium indicet, aliisq́; optimum inde eligendi liberum relinquat, ait *Hunnius prodr. Consultat. de relig. conciliandis, t. 4.* In maximis tempestatib. Naucleri à viatorib. haud ægrè se admoneri patiuntur. *Et* ubi ardua res geritur, unicuiq́; viro bono & recti sibi conscio jus est cum honesta modestaq́; libertate consulendi in commune, ait *Baudius C. 3. Ep.* 19. Nec mihi debet, si communi Controversiarum pelago tot annis jactato, media ad componendum nonnulla proponuntur. *Scandala & lites* ex eo exsurgant, si quòd ad priscam Apostolicam fidē omnia qvis componat, vitio hominum fiat, non rerum: Et accepta fuerint, non data scandala. Ac tàm non teneatur, ut nec Christus & Apostoli, quòd IEsum crucifixum Judæis scandalum, & gentibus stultitiam, 1. *Cor.* 1. *v.* 23. prædicârint, ignemq́; dissensionum in terris excitârint, *Matth.* 10. *v.* 34. *Lucæ* 12. *v.* 51. *Act.* 28. *v.* 22. Illud etiam *Bedæ* hic cogitandum: *Vtiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Quod in *Decretalib. Gregorii L.* 5. *Tit.* 41. C. 3. allegatur.

5. *Alii* criminantur, me altiora viribus ſectari, alios ut inferiores deſpicere, meipſum prudentem æſtimare. *Rom.* 12. *Hæc* ejusdem commatis cum præcedentibus ſunt. Nec majora viribus ei eſſe poſſunt talia, Cui ad 30. ferè annos *Theologica* tractata; Nec quisquam per id deſpicitur, ſed cuivis ſtatus, authoritas, fama, eruditio, quamcumq; habet, relinqvitur: Imò ad tàm præclarum opus, ut de talento divinitùs conceſſo aliquid conferre velit invitatur. Ego qvidem ſeriò exopto, ut Chriſtiani de minuendis, quàm extendendis contentionibus potiùs cogitare & laborare velint, Quod *libris de fide Chriſtianâ* latiùs deduxi. Hoc Chriſtianum agere æquum eſt: Ac Studiorum eorum, quibus diutisſimè incubueris, uſum deſiderare, aut occupare, fas & licitum cuivis eſt.

6. *Similiter me homines in incerta vanis ſubtilitatibus deducere clamant, ut tandem nihil credituri ſint, aut ipſi ignorent, quidnam credituri ſint. Et* hoc nil niſi ruditas ac calumnia eſt. *An* Apoſtolica fides incerta eſt, aut vanis ſubtilitatibus foeta? *An* explicationem Symboli ex Scripturæ verbis haurire & tenere, in incerta deducere eſt? Ego homines â tricis & ſubtilitatibus ad planam Scripturæ veritatem & piſcatoriam Apoſtolicæ fidei ſimplicitatem deducere allabro, & ſcholarum tricas in multis reſecandas ſuadeo, ut totum ſcriptum docet, pleniusq; *Libri de fide Chriſt:* oſtendent. Idemq; *Lutherus, Brentius, Chemnitius, Mentzerus, aliiq;* ſuaſerunt. Indeq; tutiſſimum credere ſuggero, non nihil credere propono. Sermo Jehovæ certisſimus eſt, *Pſal.* 119. *v.* 8. 9. 10. *Prov.* 8. *v.* 8. 9. Et Apoſtolicam fidem Symbolo comprehenſam in incertum credere nos deducere non ſine inſigni blaſphemia in ſanctisſimam illam fidem, ut *Judas v.* 20. eam appellat, aſſeri poteſt. Omnes in eâ baptiſati ſum⁹: Sic in nihil credere aut incertum vagumq; credere, aut Atheiſmum, & ſimilia baptiſati eſſemus? Omnes Vetuſtisſimi Patres 3. primorum ſeculorum conſentienter ad eam fidem provocant, ut *in iisdem libris* oſtendi. Quis in vanas ſubtilitates, aut vagum credere, aut Atheiſmum, ipſos fideles deducere voluiſſe blaſphemabit? Et qui explicationes myſteriorum, ut Cœnæ, Prædeſtinationis, *ex ipſis fontibus & Scripturæ phra-*

ſibus

sibus ac verbis deducendas svadet, inq; illis sistendum monet, ad longè solidissima omniq; glossâ aut intricatione Scholasticâ potiora rem revocat, & immotâ πληροφορία verbo niti potest, cum humanæ subtilitates sæpiùs evanescant & destituant, in tentationibus sanè parum proficiant. Itaq; hæc omnia nil nisi mera publicaq; deliria sunt, qvibus sibi caput demulcent, aliisq; pervertunt, qvi nugis magis, qvàm solidis, pasci avent.

7. *Aliis* cavillari libuit, *singularitates fermè in sententiis me affectare & sectari*, in omnibus diversum ac singularem esse velle. Ex qvibus qværere operæ pretium sit, ubinam legerint, *Apostolicam Christianam fidem, & piscatorum istam simplicitatem singularitatis alicujus à Christianis Viris insimulatam fuisse*, aut Christianos id unqvam ausos esse? A Scholasticis autem labyrinthis ad eam simplicitatem Christianos revocare, qvam *Apostoli* fundârunt, primi post eos *Patres* continuârunt, ut scripta eorum testantur, *Martyres* primorum seculorum sangvine suo confirmârunt, præstantes *Theologi* omnium religionum desiderârunt, inculcârunt, postulârunt, ut *alibi* deducetur, qvo jure tandem singularitatis nomine sugillatur, & in odium adducitur? In accurato etiam Veritatis scrutinio nihil curandæ communes & vulgatæ sententiæ, sed veritas omnibus sententiis aut usu vulgatis hominum opinionibus seriò anteferenda & occupanda est, utut singularitatis nomine traducatur. *Nec communitas sententiæ veritati præscribit*, cum malè Christi fides valiàs erum traxisset: *Nec veritas singularitatis nomine traduci debet*, etsi nova videatur. 1000. Jahr unrecht / war nie kein Tag recht / ajunt Germani. Et *Pythagoræ* erat: *Per publicam viam ne incedito*, h. e. publicos vulgi errores. *Phocion* sibi omnia, qvæ vulgus diceret & ageret, displicere dicebat. *Antisthenes* theatrum aliqvando ingressus contra populum nitebatur. Rogatus, cur faceret, in omni vitâ id facere se studere respondit. Sentiens, sapientis esse, in multis à multitudine dissidere. Nil præstantius, qvàm non pecorum ritu antecedentium gregem seqvi, pergentes, non qvò eundum est, sed qvò itur. Vulgi sententiam maximè à veritate remotam esse dicere solitus est *Johannes 23. P. Rom.* Non semper justè procedit, qvi gregem antecedentem seqvitur. Non semper optima, qvæ communi assensu recepta, qvorum de-

fensor multitudo est. Sæpè per manus error traditur, sæpè contra verum multitudo procedit. *Pessimus veritatis interpres vulgus est. Veritati Nemo præscribere potest, ait Tertullianus l. d. veland. virg.* Non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. *Postea*: Si semper Christus, & prior omnibus, *æquè veritas sempiterna & antiqua res.* Viderint ergò, quibus novum est, quod sibi vetus est. Præstat, singularem esse, & verum, quàm communem, & erroneum. Qui verum tuetur, communem & à DEO præscriptam viam sequitur, & Ecclesiæ primogenitorum in cœlis conscriptorum, *Heb. 12. v. 23.* accedit. Erronea mentiuntur communitatem: factiones tantùm habent. *Papatus* idem *Luthero* opprobravit, & Christo ac Apostolis novandi crimen objectum. Cur non ad *Judaismum, Papismum, Atheismum, Gentilismum*, reditur, Si communia & vulgata placent, semperq; sequenda. Pudere tantarum stoliditatum debebat eos, qui ad verum maximè manuducere deberent, sive vulgatum, sive singulare esset. Christiana autem media ad pacem ac compositionem aliquam severè ab Apostolis præceptam *Rom. 13. Hebr. 12.* ducentia, ostendere & desiderare, quâ ratione singularitatis nomine damnabitur? Cum & æquitati, Caritati, Modestiæ, primoq; principio, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris,* consentanea ea sint, qualia omnibus & Christo nomen gerentibus communia esse voluit Christus: Et universis communia singularitatum nomine differre contradictoriũ sit. Principia & hypotheses maximè generales & securas, eoq; à nullo in dubium vocandas aut negandas, seligo, quib. nitar. Hoc ex communissimis procedere est, & temerè singularitatis appellatione infestatur. *Aliam viam*, quam decurras, insistere per me cuivis licitum esto. Nec insolens id inter literatos, nec interdùm inutile. Certiora tamen incertis, Vniversalia restrictis, generalia particularibus, secura intutis, determinata ambiguis, & clariora suspectis præcolere, tutissimum mihi visum. Deniq; in mysteriis semper multa superfutura, eoq; *non liquere*, & ad Cœli Academiam reservare, cum multis Patrum ac Theologorum asserere, necessum fuit.

8. *Alii* scandala publica me movere ajunt, res jam exploratas & constitutas in dubium vocare, temerè antiquas sententias,

tias *novare*, infirmis omnia incerta ac suspecta reddere. Hæc nil, nisi priores calumnias recoquunt. De scandalo jam *t* 4. responsum est. De novandi studio ex *t.* 7. patere potest. De rebus exploratis & jam constitutis idem *Papatus* Evangelicis oggessit, Nec honestiore prætextu sua obvelare potuit, quàm semel constituta in qvæstionem vocari non debere. Sed nec Luthero suo tempore id curatum fuit, Nec *Christiano* curari debet. Certissima antiqvissimaq; constitutio *ab Apostolis ac priscâ fide Christianâ* est, ad quam multa pro decisis exploratisq; comparata, vacillare alicubi deprehendentur. In spiritualibus id pro explorato demùm habendum, non quod seculorum quorundam consensu firmatur; sed quod & retrò â *primâ antiquitate* fundamentum sui reperiat. *Et adversus veritatem* nulla antiquitas, constitutio, decisio, explorata Certitudo, aut simile quid præscribere habet: superior universis istis est, & vinci ac succumbere talibus nullo modo potest, *t.* 7. Nec ego certa explorataq; in dubium voco, sed quæ nimis â Scripturæ verbis recedunt, ad eadem revocari, in illisq; ac eorum sensu â Sp. S intento sisti suadeo, quod longè aliud est.

9. *Alii media mea conciliandi nullius pretii esse garriunt* Quædam ad usum transferri non posse, ut liberos Christianos, hæc adjecta, ista superflua, ibi sistendum. *Quis* mediis istis stare, & Apostolico symbolo acquiescere faciet? *Quib. respondebo*, si meliora media ipsis suppetant, promere eos in usum rei Christianæ posse ac debere. *Ego*, quæ mihi commoda visa sunt, proposui, & ad rem ea futura ipsa praxis conciliandi ostendet, ac *libri de fide Christianâ* docebunt. Superflua, adjecta, liberos Christianos, & hic sistendum, *partìm* Scriptura, *partìm* antiquitas, fidei indoles ac natura, prudentia Christiana, Conscientia propria, amor DEI ac antiqvissimæ veritatis & simplicitatis conciliabit, ac scissura Christianarum Ecclesiarum salusq; earum commovebit: DEUS excitabit tales, Pius Magistratus procurabit, necessitas ipsa ita procedere, stimulabit. Quivis bonus Christianus postulatis æquis & moderatis acquiescet. Vt agnoscantur ea, immotis principiis, & rei ipsius Naturâ, ac oppositi insulsitate disponi homines oportet, vt latiùs *alibi* deducetur,

 10. *Ali*

10. *Alii modò laxiùs, modò strictiùs de fide agi, & modò plura, modò pauciora* ad eam reqviri causantur, ac nec hostibus, nec amicis parci, qveruntur, odia, calumnias, partium studia, superbiam, oscitantiam, injuriosè illis impingi. *Nempè ignorant isti*, in Theologicis varietatem aliqvam occurrere, *qvænam & qvot ad fundamentalia fidei puncta reqvirantur*, & voces articuli fidei strictiùs & latiùs interdum sumi, nec rem satis discussam esse, ac in scholasticis disceptatis ventilari, ut *L. 1. de fid. Christ. C. 6.* deducetur. Non mirum, si varietati isti aliqvid indulgeatur. Qvòd nemini parcitur, res ipsa ejusq; status, qvantum ad hoc, reqvirit. Detegendi enim defectus sunt, si ex fundamento aliqvid sanari debeat. Non tamen omnia in *Lutheranos* dicta, eoq; rapi necessum, cum multa *Pontificios*, *Reformatos*, *Photinianos*, *Arminianos*, *Anabaptistas*, concernere qveant. Aliiq; ante nos defectus notârunt, *ut Meyfartus*, *Meldenius*, *Arndtius*, *Varenius*, *Hunnius in Consultat. p. 2. C. 1.* Qvi & defectus colloqviorum perstringit, *pag. 1. C. 18.* Nec ob id aut culpati, aut à fide Lutheranâ alieni existimati. Nec arroduntur boni labores, sed defectus qvandoq; intercurrentes notantur, qvod sæpè *Affelmannus*, *Gerhardus*, *Brochmandus*, *Tarnovius*, *in Lutheranorum* scriptis fecerunt, nec culpam traxerunt, nec arrosisse dicti sunt. *Pluribus in Respon. ad Censuram* hæc patebunt, ubi edendi occasio futura est. Hactenus enim sufflaminare visum, cum nec ea in publico prostet, & multa illius ex his & parte 2. *Apologiæ hujus* confutari qveant. Cum similia labra similes lactucas vescantur, eoq; eodem epizyro excipi mereantur.

PARS

PARS II.

Irenicum defenſum adverſùs alienas cujusdem ſervi Chriſti, ut ſe vocat, cavillationes.

EGo qvidem unumqvemq; *ſuo abundare ſenſu* facilè permitto, nihilq; mihi alienum accidit, ſi aut diverſa qvis à me ſentiat, aut adverſa meis proponat, cum ſcopum unum multorum eſſe poſſe ſciã, ut media tamen ad eum & viæ diverſæ ducant: Qvia tamen partim cavillis mea impeti video, nec ſenſum eorum proprium ſemper adferri, nec intentionem ſervari, ſed aliena pro legitimis adduci, peregrina mihi imputari, & inſufficientia in multis proponi animadverto: Cauſa, ratio, & neceſſitas poſtulare poteſt, ut infirmitate objectorum oſtensâ ſuccuti talibus noſtra neqvaqvam poſſe palàm faciamus.

2. Jam præ aliis *cum aliqvo, qvi ſe ſervum Chriſti in nona regni periodo*, qvæ jam occupetur, vocare vult, agendum, cum qvo nec notitia mihi unqvam, nec odii cauſa. Vidi qvædam ſcriptorum ejus. Nonnulla non in totum improbata. Alia, de qvibus nondum ſatis liqvere potuit, tempori reſervavi. In nullo, qvod ſciam, adverſum me homini exhibui. Neſcio autem, qvibus motus *adverſus Irenicum meum* calamum ſtringere animum induxerit. Undecunq; auſus ſit, ferendum & ipſi erit, ut qvæ adduxit, ad veri ac judicii lancem expendantur. Sic qvæ de igne probante & exurente opera qvorundam *C. 1.* adducit, *& in ſuis operibus* experietur, ac utrum conſtitura ſint, necne, facto deprehendet.

3. *Capite 2. titulum ſcripti carpit*, de differentiis religionum conciliandis, *cum Lutherani, Papiſtæ, & Reformati* propriè una religio ſint, ſcripturam & ſymbola, Apoſtolicum, Nicænum, Athanaſianum, unanimi conſenſu recipiant, Chriſtianæ religioni omnes addicti ſint, inter ſe autem ob peccata ſua, qvibus à Chriſto omnes deſciverint, in ſectas ſciſſi ſint, & ſic de una religione, ſed *tribus in ea ſectis conciliandis ſcribendum fuiſſe.* *Verùm* hæc præter inanes cavillationes, nec gravitati ſervi Chriſti, qvalis eſſe cupit, nec ſcientiæ, qvam præ ſe fert *Author*, competentes, nihil continent. *Vox religi-*

gionis & generaliter sumitur pro Cultu aliqvo DEI in universum, sive verus ille, sive falsus. Quomodo & gentilibus, & Turcis, Persis, aliisq; infidelibus sua est religio. Sic *Lactantius* proprias Romanorum religiones vocat, *l. 1. div. Instit. C. 20.* Et in *inscriptione libri de falsâ Religione* librum primum fore dicit. Sic *Maximus Madaurensis* DEUM omnib. religionibus commune nomen esse dicit *ap. Augustinum lib. Epist. Ep. 43.* Ita apud *Ciceronem* de religionibus gentilium frequens est mentio, ut *ex libris de Inventione & Naturâ Deorum* patet: *Et* pro fide Christianâ in genere, quomodo Christianorum religionem dicimus: *Et specialiter* pro hoc & isto modo profitendi ac explicandi fidem Christianam, & per id DEUM colendi, Qui modus cum diversus in quibusdam apud *Lutheranos, Pontificios, Reformatos* sit, Et quidem diversitates sat multæ, ac interdùm momentosæ intercurrant, Ita cum *Pontificiis* in ipsâ Scripturâ non convenit reliquis, cum nec solam eam, nec justam recipiant, sed & libros non divinos adiiciant, & *Traditiones* non scriptas etiam ut DEI verbum apponant, Quomodo *Pontificia, Lutherana, Reformata, Photiniana*, religio, Päpstische/ Lutherische/ Calvinische Religion/ passim dicitur, cumq; cuius religionis aliquis sit, qværitur, illud omninò intenditur, ut, an *Lutheranus, Pontificius, Reformatus, Photinianus* sit, respondeatur: Quid reprehensionis meretur, qui differentias Religionum memorat, clasficoq; ac passim recepto usui in titulo scripti insistit? Par ratio apud *Judæos diu* extitit. *Vna vera Religio Judaica* erat, quam Patriarchæ, Prophetæ, & pii ante Christum & sub Christo tenebant. Sed *& tres religiones dicere* licebat, eum scissuras religionis Judaicæ in certas partes quis attenderet, ut Pharisæismum, Sadducæismum, Essenismum. Peculiares enim modi profitendi sub fide Judaicâ erant. Si sectas quis tales scissuras vocare velit, me non repugnante faciet, cum & ego ita appellem. Religiones tamen simùl appellare ex clasfico vocis usu nec injustum, nec insolens puto. De sectis tribus cum Christo conciliando, ut ipse titulum faciendum censet, *t. 5.* patebit. *Sententiæ ipsæ hic conciliari inprimis quæruntur, non homines cum Christo aut inter se, quod longè alterius scopi, temporis, occasionis, & muneris est, & munus* Verbi ministri ac Consideratoris sententiarum Theologicarum perpetuò Author confundit.

4. *Cap.* 3. carpitur, *quòd subiecta conciliandi describam, & nec regium DEI sacerdotem aut perfectum ejus imitatorem esse debere addam, Nec unquam tale subjectum in carne viderim.* Sed nec omnia de subjecto in aliquo loco dici necessum est, quæcunq; in subjecto inesse possunt aut insunt, sed ea tantùm, quæ maximè ad eam rem, de quâ agitur, faciunt, Qualia *t.* 6. *Irenici* expressa sunt. Nec ea, quæ hic *Author* adducit, ad rem satis erunt. Regium DEI sacerdotem & perfectum DEI imitatorem esse, vel omnib. Christianis competit, *Matth.* 16. *v.* 24. *Marc.* 8. *v.* 34. 1. *Thess.* 1. *v.* 6. 1. *Pet.* 2. *v.* 21. *Apoc.* 1. *v.* 6. *C.* 5. *v.* 10. Vel verbi ministris & Prædicatoribus, 1. *Cor.* 11. *v.* 1. Vtrouis modo fuerit, certum est, in utroq; hominum genere maximam partem esse, quæ ad negotium conciliandi Religiones prorsùs inepta futura sit, cum ingentem & variam Theologicarum rerum, Controversiarum, Logicarum & Philosophicarum materiarum cognitionem istud reqvirat, quæ omnibus data non est. Vtcunq; n. *Spiritualis Sacerdos aliquis sit, si tamen materiarum Theolog: rationum omnium dogmata,* quæ concliari debent, *attinentium, requisitorum in Oppositione, Modorum in Conciliatione, solidè gnarus non sit,* frustrà in negotio conciliandi fuerit. Officium etiam Prædicatoris Verbi, Cujus est domui Jacob prævaricationes suas indicare, & ut DEO reconcilietur, curare, cum officio (*conciliatoris* confunditur, Cujus est, diversitatum Naturas in spiritualibus solerter rimari, tollere, conciliare, meliore modo determinare, *t.* 5. Quòd mihi tale subjectum nunquam visum fuerit, parum refert. Nec authori ipsi visum est, Nec perfectus *Orator, Theologus, Politicus, Oeconomus*, mihi aut Authori vunqvam visus. In Practicis tamen omnia illa describimus, ut si perfecti esse debeant, tales esse cogantur, sive visi sint unquam, sive minùs. Practica perfectas rerum ideas tradunt & describunt, non existentias. Eoq; vidisse subjecta, alienum ibi est postulare. Sic *Cicero* perfectum Oratorem descripsit, quem nunquam vidit. In nostro etiam argumento subjecta talia, ut descripta sunt, dari posse, certè debere, si ad rem esse velint, nihil dubito, & suo tempore DEum facturum, ut videamus, ea ac sentiamus, confido. Cœtera, quæ in fanaticos proiectat *Author*, me non feriunt, qui talium hominum Patronus nunqvam extiti.

5. *Quæ*

5. *Quæ de diversis gradibus sacerdotum & imitatorum commentatur*, qvo um qvidam *primi*, ut Apostoli & Prophetæ, qvidam *secundi*, alii *tertii & qvarti* sint, eorumq; distincto tempore, misero statu, gratiæ principio, ortu, progressu, statu in Christo, missione perfectorum in pace Christi, ac eorum gratiâ & potestate deducit, omnia extra Rhodum & rombum, & à præsente instituto aliena sunt, ac in fine capitis ipse author ad eos determinare cogitur. qui Apostatas cum DEO reconciliare qveant, qvod pro nostro instituto jam non qværitur, *t. 3. Qvomodo controversiæ hodierni temporis in religione componi, mitigari, sepiri, tolli possint, hic qværitur, non qvales spirituales sacerdotes DEI & Christi esse debeant? Aliud* est officium ministri verbi & prædicatoris Christi, qvi ministerium conciliationis hominum gerit, & homines DEO, à qvo peccando alienati sunt, conciliare, ac cum eo in gratiam reducere qværit, *2 Cor. 5. v. 20. Aliud* officium Conciliatoris sententiarum in religione, non hominum in DEO, sed opinionum de Theologicis materiis, qvæ qvia perpetuò confundit *Author*, de distinctis distinctè docere non potest, & plerumq; extra oleam & Rhodum vagatur. *Perinde acsi de sonis in harmoniam redigendis tractatio* instituatur, & tu de Musicis hominibus cum DEO aut Christo, à qvo peccando desciverint, conciliandis agendum censeas. *Aut* si causa Juris inter Petrum & Andream componenda agitetur, & tu Petrum & Andream DEO reconciliandum suadeas. *Sententias & religiones conciliare qværimus, non homines*, Undè de differentiis religionum conciliandis titulum fecimus, non hominibus: Et si hos, inter se in sententiis circa spiritualia diversos in aliqvid harmoniæ traducere allaboramus, non qvomodo aut peccatorum jugo eximi, aut in harmoniam cum DEO Creatore ac Redemptore, à qvo peccando divisi, *Esai. 59. v. 2.* reduci debeant, qvod longè alterius fori, temporis, scopi, & subjectorum est. *Utrumq;* in Republ. Christianâ conandum & procurandum. *Diversissima* tamen sunt, sententias ac causas componere, momenta diversitatum expendere, differentias minuere, harmonias introducere, conciliandi modos ac rationes suppeditare: *Et homines* peccatores DEO conciliare, diversumq; munus, scientiam, laborem, utrumq; reqvirit, & per diversa interdum media expediri postulat. *Conf. Irenicum t. 19.* Qvi bonus *Logicus* fuerit, ut oppositorum reqvisita & conciliandi media probè calluerit, *Philosophus*, ut in rebus

rebus Naturæ sciendis valuerit, *Theologus*, ut spiritualium materiarum sufficientem cognitionem habuerit, *Ethicus*, ut prudentem, modestum, placidum, gravem, liberum, & non ad authoritates hominum instar mancipii addictum, & similem se exhibere didicerit, ut *t. 6, Irenici* delineatum, Is in conciliando multum præstiterit, etiamsi prædicator aut Verbi minister non præcisè extiterit. *V. t. 4.* Possunt notitiam rei, eoq; & conciliandi diversitates in re & illi habere, qvi nec prædicatores, nec perfecti DEI imitatores, (qvæ perfectio in hac infirmitate fermè somnium est, ut Apostoli exemplo *Rom. 7.* & propriâ infirmitate edocemur,) nec spirituales sacerdotes fuerint. Ita *Judas* proditor ad novum Evangelium nuntiandum & peccata domui Jacob revelanda pariter cum cœteris Apostolis à Christo missus, iisdem donis miraculosis instructus, eodem officio defunctus fuit, *Matt. 10. Marc. 6. Luc. 9.* Qvi tamen sathanas paulò post emissionem à Christo appellatus est, *Joh. 6. v. 70.* ut *harmoniæ Evangelicæ* ordo demonstrat. Nec perfectum Dei imitatorem, nec spiritualem Dei sacerdotem talem appellare audebit *Author*, nec donatisticâ & Anabaptisticâ mente ministerii aut muneris vim & successum à probitate ministri suspendet. Sic *Bileamus* in singulari opere prophetandi à DEO usurpabatur, *Num. 23. 24.* etsi impius magus esset, *C. 24. v. 1.* *Caiphas* prophetabat, etsi impius sacerdos, *Joh. 11. v. 51.* Nec perpetuò ista nexa, singulari muneri admoveri, & DEO ut spiritualem sacerdotem se exhibere. Notitia de re esse potest, & pietas in DEum abesse. Theologus scientiâ qvis esse potest, & malus Christianus vitâ & conscientiâ. Sic egregius Medicus qvis esse beneq; medicari potest, ut malus Christianus & pessimus DEI imitator sit, ut experientia testatur.

6. *Capite 4.* adoritur illud, qvòd negarim, Justitiam Christi nobis imputari, *Scripturæ phrasin esse*, & ex æqvipollentiâ hujus, DEus mundo non imputat peccata ejus, *2. Cor. 5. v. 19.* eam educi, ac perindè utramq; se habere ait. Sed *inscitiam Logicam & Theologicam* hic *Author* prodit. Qvod per æqvipollentiam Logicam ex aliqvo colligi necessum est, non statim aperta phrasis & expressus loqvendi modus est, de qvo ego locutus, ut *t. 13.* apertè docet. Qvomodocunq; autem æqvipollentia se habeat, in rebus fidei tutissimum est, non solùm cum scripturâ sentire, sed & cum eâ loqvi, & hoc piis DEI filiis displicere non potest,

nec debet. Multæ enim disceptationes in Theologicis ex occasione phrasium humanarum adhibitarum, qvibus explitare, deducere, æqvipollenter reddere & conferre res spirituales voluerunt, ortæ sunt, qvibus magnâ parte supersedere licuisset, si presse ad verba Spiritus S. adhærere, inq; illis qviescere Christani voluissent. *Sed negari etiam debet*, æqvipollentes propositiones esse, *DEus non imputat mundo peccata*, *& DEus justitiam Christi mundo imputat*, cum diversissima prædicata habeant, diversasq; res in illis connectant ac enuntient, totaq; affirmandi negandiq; formâ dissideant, & altera, qvid non imputetur, altera, qvid imputetur, promat. Non autem aliqvid imputare, & imputare alicui aliqvid, pro æqvipollentibus habere cum ipsâ ratione insanire est. *Contraria* enim sunt, & unum, qvid non fiat, dicit, alterum, qvid fiat. Qvod non imputari dicitur, ut peccatum, imputari dici non potest. Perindè acsi æqvipollentia dicas, DEus fidei Abrahæ justitiam imputavit, *Rom. 4. v. 3. 22.* Et DEus Abrahæ non imputavit peccata sua. DEus credentibus fidem ad justitiam imputat, *Rom. 3. v. 5. 24. Phil. 3. v. 9.* Et DEus credentibus non imputat peccata eorum. Sic Paulus non imputavit desertoribus suis desertionem, *2. Tim. 4. v. 16.* Et Paulus justitiam suam vel alienam ipsis imputavit. Sic Princeps rebelli offensam condonans rebellionem ipsi non imputat. Ex hoc non statim deduces, Princeps justitiam suam aut alienam ipsi imputat, ac nisi aliunde id scias, ex priore enuntiato posterius ut æqvipollens nunqvam elicies. Qvòd locum *1. Cor. 1. v. 30.* de justificandis acceperim, textui convenienter feci, ut ex toto de vocatis contextu patet, *v. 21. seq.* Qvi ad fidem, justitiam, sanctimoniam, vocantur. Qvi per naturam non sapientes, non sancti, non justi, non redempti, coram DEO fuimus, in solo Christo spiritualiter sapientes, justi, redemti facti sumus. Is enim Dei virtus, sapientia, justitia & redemtio nobis factus est *v. 24. 30.* ut credentes in eum omnium istorum verè participes reddamur, sicq; in solo Domino gloriemur *v. 31.* Nec aliud nomen sub cœlo hominibus datum est, in qvo salvari ipsos liceat. *Act. 4. v. 12.*

7. *Deinde illud pungit*, qvòd negârim, phrasin Scripturæ esse, bona opera ad salutem necessaria esse, & de salute peccatorum, qvâ à peccatis suis salventur, id verum ait *Tit. 3. v. 5. Eph. 2. v. 8.* Non justorum, ut operum suorum præmia accipiant. His omninò necessaria ad salutem opera esse. *Verùm ego* de phrasi locutus sum, qvam in

sacris

sacris usurpari justè negavi, cum ostendi non possit, non reipsâ, qvam justificato jam & spe salvato, *Rom. 8. v. 24.* necessariam esse legitimo sensu concedi potest. Qvi enim à Deo qvæsitus, in vineam vocatus, fide donatus, justificatus est, eum in patientia & bonis operibus vitam æternam qværere oportet *Rom. 2 v. 7.* Bonum certamen certare, cursum consummare, ut corona justitiæ ipsi imponatur, *2. Tim. 4. v. 8.* Pugnare & currere, ut bravium accipiat *1. Cor. 9. v. 24. seq.* Sed *aliud* tamen, homini salvando necessarium esse, qvod conditionem & reqvisitum subjecti describit: *Aliud,* ad ipsam salutem necessarium esse, qvod formale & causam aliqvam ipsius salutis exprimere potest, & qvomodo hac in re Scripturam non loqvi certum est, de qvo *alibi* in Theologicis traditur. *Prius* liqvidum, cum *posterius* erroneum aut periculosum esse possit. Hæc similiter si distingvere novisset *Author,* non toties tetrâ confusione peccaret. Et hic de salute in genere qværitur, non horum aut illorum in specie, an opera ad eam necessaria, ut salutem peccatorum & justorum distingvere hic insufficiens & impertinens sit, ut alibi pluribus traditur.

8. *Tertiò illud carpitur,* qvòd sensum verborum Pauli, *Panis, qvem frangimus, communicatio corporis Christi est;* hunc esse dixerim, Panis hujus fractio ac distributio est corporis Christi communicatio, *& de pane,* cui ista contingunt, *non rebus,* qvæ ipsi contingunt, ut fractione & distributione, Paulum enuntiare ait, meam a. glossam carnalem, & Spiritui Dei adversam esse. *Sed non advertit Author, Paulum* non absolutè dicere, Panis est communicatio corporis Christi, sed notanter addere, *qvem frangimus,* qvod non frustra addi, sed aliqvid in pane describere & determinare, certum est. Eoq; de pane fracto dici, communicationem corporis Christi esse, non pane absolutè. Qvid autem frangere Hebræâ phrasi notet, nempe distribuere, ex *Gen. 42. v. 1. 2. Esai. 58. v. 7. Thren. 4. v. 4.* aliisq; locis manifestum est, unde pro κλᾶν & κατακλᾶν apud Græcos etiam μερίζειν usurpatum fuisse *Stuckius L. 2. antiqvit.* observat. Ex qvo porrò facilè sensus, qvi traditus, elucescit, ut alius subesse non possit, qvàm hic, *Panis hujus in cœna fractio, distributio, acceptio, comestio, est ipsa corporis Christi communicatio;* eoq; & de pane id enuntiat Apostolus, & de re, qvæ in pane contingit, fractione & distributione ejus, h. e. Pane in officio suo in cœna spectato,

qvod in fractione ac distributione in cœna id officium gerat, qvod corpus Christi communicet. Nec enim panis absolutè corporis Christi est communicatio, sed *fractus, distributus, acceptus*, comestus, & in usu suo cœnæ adhibitus. Sic si Paulus dixisset, Panis qvem comedimus, corporis Christi est communicatio, justè sensum ad hanc rationem erueres, Panis hujus comestio est corporis Christi communicatio. Sic si dicam, *Poculũ, qvod trado*, vini Rhenani est communicatio, justè sensum resolvas: Poculi hujus traditio est vini Rhenani communicatio. Et de poculo tradito, vel poculi traditione enuntiabitur, qvod vinum Rhenanum communicet. Sic, *marsupium, qvod dono*, 10. florenorum est communicatio, rectè resolvas: marsupii hujus donatio 10. fl. est communicatio. Panis, qvem frango, distribuo, eleemosynæ pauperibus est erogatio, h. e. Panis distributio eleemosynæ pauperibus est erogatio. *Similesq; propositiones omnes ad eandem formam resolvas.* Sic historia, qvam refero, præteriti facti est commemoratio, h. e. historiæ hujus relatio præ. fac. est comm. Nec video, qvid in re manifestaria tricari velit *Author*, cum sensus planus, scopoq; ac contextui Apostolico apprimè conveniens sit. Impudentiam autem ejus, qvod glossam carnalem & spiritui Dei adversam vocare audeat, miror. Qvæ aliter retundi poterit, nisi modestiùs de aliorum scriptis censere ipse didicerit.

9. *Qvartò sugillatur, qvod* vitam & mores à dogmatibus distincta esse voluerim, cum religio etiam in sancta vita consistat, nec sectæ uniri possint, nisi & vita immutetur. *Verùm*, etsi unita in vera religione sint, doctrinæ puritas & vitæ sanctitas: *Distincta* tamen sunt, non unum alterum est, eoq; nec cum altero confundendum est, sed de distinctis distinctè à prudente Doctore docendum est. Hic qvi sententiæ & opiniones conciliari qveant, potissimum qværitur, non qvi homines aut vita emendari, *t. 15*. Sententias autem conciliare ex conciliandi mediis Logicis & realibus, ac sententiarum ipsâ habitudine desumere licebit, *t. 5*. Ut de sanctitate vitæ nondùm qværas aut constituas. Veram Deoq; placentem religionem esse, ubi nulla sanctitas vitæ sit, nec ego unqvam concesserim, nec hodiè concedam. *Distinctum tamen qvid*, de veritate dogmatis inqvirere, aut in qvantum dissideant dogmata, an & qvatenus conciliationem admittant vel respuant, vestigare, & vitæ puritatem introducere. Nec qvæ conjuncta sunt, statim eadem esse tenentur. *Aliud* etiam, homines sententiis inter se diversos in harmoniam reducere;

cere;

cere: *Aliud*, eos à Deo per peccata aversos ad Deum reducere, *t. f.* Qvod sanctimoniam comitem in reducto ac converso necessariò importat, secùs conversio vana est. Sed non hæc invicem confundenda, ut indistinctâ conferruminatione *Authori* solenne est.

10. *Qvinto reprehenditur*, qvòd fidem Christianam in necessaria sui substantia unam & eandem à principio sui usq; in hodiernum diem fuisse dixerim, cum fides interdum notitia in intellectu tantum sit, interdum fiducia in co de, interdum verò utrumq; in homine, fides etiam peccatorum ad justitiam, & justorum ad salutem diversa sit, *Job. 7. v. 38. 2. Cor. 4. v. 13. Hæc partim* contra me parum faciunt, *partim* temerè res multiplicant. Non de qvavis fide, aut qvavis ejus parte vel incremento, sed solâ Christianâ loqvor, eamq; *cum invariatam dico, in substantialibus ac necessariis suis punctis & dogmatibus spectatam considero*, qvæ Christianum sine dubio nosse & credere oportet, si salvari velit, qvalia *Symbolo Apostolico* contenta esse *Patres & Theologi* pleriq; confitentur, ut *Libris de fide Christiana* ostendam, & qvæ ab Apostolorum ætate usq; in hodiernum diem invariata immotaq; ad hos delata fuerunt, non additamentis aucta, non detrimentis imminuta. De qva illud *Pauli* valeat, una fides, *Ephes. 4 v 5.* Et Judæ, fides semel sanctis tradita, *Ep. Judæ. v. 3.* Cum interdùm notitia fides dicitur, interdùm fiducia, non aliam & aliam fidem facit, sed aliam & aliam partem tantùm in fide, & in uno subjecto notiam, in altero fiduciam esse posse dicitur, ac ratione subjectorum tantùm ita dividitur, non fidei ipsius in se. Fides Christiana si vera sit, una eademq; in omnibus notitiâ, assensu, & fiduciâ constituta est, non nudâ notitiâ aut fiduciâ absolvitur, qvæ veram Christianam fidem sola non facit, sic enim & diabolis notitia inest, *Jacob. 2. v. 19* Qvibus vera fides Christiana, qvæ fidelem facit, non tribuenda. *Gradus suos* habet fides, notitia clarior & obscurior, diffusior & contractior, accuratior & simplicior, fiducia intensior & remissior esse potest, diversimodè in corde à Spiritu S. excitari potest: Sed substantialibus ac fundamentalibus suis punctis ac dogmatibus una eademq; persistit, qvod ego invariatione ejus intellexi, & vanè ab *Authore* est oppugnatum, temereq; una in se fides in diversas qvasi species est multiplicata. Eadem fides est, & qvâ salvamur, *Marc. 16. v. 16. Act. 16. v. 41. Rom. 10. v. 11.* & qvâ virtute Dei ad salu-

salutem custodimur, *1. Pet. 1. v. 5.* Eademq; est, qvâ corde ad justitiam creditur, & qvâ ore confessio ad salutem expeditur, *Rom. 10. v. 10.* Et qvâ justificamur, ac à peccatis coram Deo absolvimur, *Rom. 3. v. 25. seq. C. 4. v. 3. seq. Gal. 3. v. 6. seq.* Ut sine causa novare ac multiplicare nihil attineat.

11. *Sextò de exiguâ notitiâ in fide*, non semper exqvisitâ, qvod dictum, incessitur. Sed status ipse sophisticè in Germanico hic involvitur, von der Wenigkeit deß Christlichen Glaubens/ cum reddi debeat, von der geringen Wissenschafft im Glauben/ eoq; qvæ in contrarium adducuntur, pleraq; vana & aliena, qvædam etiam calumniosa sunt, & ex præcedentibus patere possunt. *V. t. 10.* Ac ex ipsâ *Irenici* inspectione sine ullo negotio dissolvi qveunt. Bona opera non ad salutem necessaria esse de phrasi qvæstio est, non re, *t. 7.* Ad fidem exiguam aliqvam notitiam sufficere in seipso verum est, & exemplo rudium fidelium probatur. Exqvisitam notitiam exiguæ opponi posse ex naturâ rei patet, simplex seu rudis, & exqvisita seu perfecta notitia verè sunt oppositæ, & simùl circa unam materiam in uno subjecto eodem respectu ac tempore non consistunt. Sed *sophisticè τὸ exqvisitum per* Recht und Gnade ab *Authore* est redditum, qvasi simplex fides non recta aut vera sit, qvod mihi nunqvam in mentem venit, Et schlecht und recht/simplicitas rectumq; tuum, in sacris conjungi sciam, *Psal. 25. v. 21. Prov. 1. v. 3.* Cum per außführlich und weitleufftig reddere, & talem notitiam in omnibus credentibus reperiri probare debuisset. In qvibusdam, in qvibus major profectus, eam esse certum est. *Appendix* ejus similiter vana est, qvòd hæc Dei paci è diametro contraria sint. Cum pleraq;, qvæ mihi imputantur, conficta sint, eoq; nec Dei paci obstaculum posuisse, nec ei contrariari possint. Vanitates Censoris sunt, non meæ hypotheses aut principia.

12. Qvæ *C. 5. de subjectis pacificatoriis* tractat, ut justi in justis conveniant, mandatum Dei proponant, redemptionem suam exspectent, in officio suo coram Deo dignè ambulent, & similia, contra me parum proficiunt, qvi qvà sensum in qvibusdam similia *t. 6. & 20. Irenici* adduxi. Interdùm officium conciliatoris hominum cum Deo, & conciliatoris sententiarum inter homines confundunt, qvæ distincta sunt,

cta sunt, *t. 5.* Qvæ *de instituto Regum & Principum* conventus cohærentium carpit, viderit, qvo modo expediat. Periculosè scribitur in eos, qvi possunt proscribere. Institutum in se summoperè laudabile est. Conatus in laude, effectus in casu est. *De mediis*, qvibus finis introducatur, diversitas intercurrit, & disceptatio est. Faxit DEUS pacis omnem intellectum superantis, ut ad salutarem finem per Christiana media aliqvando deveniatur, & Christiani, si non unum fieri possint, saltem non tàm Vatinianis odiis inter se collidi, ut hactenùs factum, pergant.

13. *Qvæ C. 6.* de causis non reportati fructus in colloqviis addit, & hominum defectuse sse dicit, mihi non contravenit, qvi idem hic sentio. Scripturam unum obstaculum ponere, recessum hominum à DEI viâ, *Esai. 30. Rom. 3.* à præsente causâ alienum est, nec ibi de conventibus agitur, cur in illis nihil profectum, sed *impietas mundi, error, & deviatio in genere* notatur, mundusq; totus coram DEO reus peragitur, ut *contextus* docet. Qvi autem specialis causæ rationes inqvirit, eum & speciaIiores causas adducere oportet, non in solis generalibus sistere. Id qvod mihi agere propositum fuit. Ita morborum causæ peccata sunt. Scorbuti tamen & febris causas longè specialiùs te inqvirere oportet, si legitimè ad rem ac pro bono ægrotantium medicari velis. Secùs solventur risu tabulæ, tu missus abibis.

14. *Parænesis Authoris*, qvam subtexit, in multis me parum stringit. Pleraq;, qvæ adduxit, aliena esse ostendi. Veritatem DEI ex ipso DEI Verbo, qvod tàm mihi, qvàm ipsi scriptum est, cum *Authore* studiosè inqviro & amplector, piscatoriam in fide simplicitatem amo & exosculor, ad eam fidem Christianam revocari optem & voveam, ad explicandum, docendum, & defendendum tamen spiritualia multa reqviri censeo, qvæ omnium Christianorum esse non posse scio, & media à DEO ipso ordinatè per studia suppeditata cur abjicere debeam, non video. Qvòd à Philosophis & Theologis mei ordinis simpliciter exire me cupit, causas recessus nondum sufficientes habeo. Ubi eas me habere videro, solis hominum authoritatibus, citra vel contra DEI verbum, non adhærebo. Veritatem Naturæ æqvè ac gratiæ, à DEO esse scio, & alibi in *Coron. Logicâ* probavi. Ordinariè non nisi per labores ac studia educi ac comparari scio. Hujus

aut

aut alterius acta, dicta, ſcripta, me non præciſè concernunt, nec ego omnia probare aut defendere teneor. Suum cuiq; defendendum relinqvatur, unde laudem aut vituperium occupabit. Ad nullius hominis authoritatem velut ad ſaxum adhæreſco, Illud Apoſtolico ſimile cogitandum duco: Sive Lutherus, ſive Calvinus, ſive Papa, ſive Photinus, omnia noſtri ſunt, nos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei, *1. Cor. 3. v. 21.* Defectus, errores, & vitia, hominum eſſe ſcio, non rerum, nec probo: Sed ut ab eis liberer, qvotidiè Deum oro, & laboro. *Authori,* ut ſolidiùs & diſtinctiùs ſua proponat, ſvadeo, gratiamq; Chriſti, caritatem Patris, & communicationem Sp. S. cum eo & nobis omnibus permanere ex animo exopto, ut univerſa juſtè & coram Deo dignè exſeqvamur.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.



